

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt XIV. Magnam animorum medicinam esse, si quis morborum, ac præcipuè etiam vulnerum caussas nôrit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

Define, mortalis, divina particulam aure  
Spe nimium fragilis incinerare boni.  
Suspice quæ calo maneat te vita perennem,  
Nec quare in terris longius exsiliū.  
Parce, DEVS, lapsō, culpamq; ignosce fatenti;  
Non consulta satis verba dolentis erant.  
Tedia spe deinceps caliq; , auiq; futuri  
Solabor vita qualiacumq; mea.  
Et mea iam seu vasa vocant, seu ducere cogor  
Longius exsiliū, non queror, & fileo.

### C A P V T   X I V .

Magnam animorum medicinam esse, si quis morborum, ac  
principiū etiam vulnerum caussas nōrit.

**S**icut caussarum ignoratio, in hominibus gignit admirationem, ita hæc desiderium sciendi accedit, & non raro magnarum mater est querelarum; quæ sedantur, si cognoscatur, à quibus principijs mala nostra originem ducant. Siquidem, vt Philosophus scripsit, *causæ omnes principia sunt*: Aristot. lib. 5. cognitis autem rerum caussis, humanæ mentis curiositas con. Metaphys. cap. 10. quiescit. Et, vt Poëta canit:

Nil admirari, prope res est una, Numici,  
Solaq; que posse facere & seruare beatum..

Magnam igitur medicinam & querelis, & admirationi mortaliū afferet, si in principia morborum inquiramus, eaque detegamus. Porrò morbi humani, vt Photinus docet, *causæ habent à mutatio-* Photin. Enn. *nibus quibusdam, vel intrinsecus, vel extrinsecus.* Necesse est ergo, z. lib. 9. ca. 14. vt & illas indagemus, quæ extra nos sunt, & quæ intra nos ipsos latent. His vel ex parte cognitis, non solum muliebriter gemere, verū etiam admirari desinemus. Aio, his vel ex parte cognitis; quia, vt rectè sanctus ille Ecclesiæ Doctor dixit, *que sint iudicia* S. Augustin. *circa humanum genus bonitatis Dei, quis poterit explicare sufficienter?* lib. 22. de c. uit. cap. 21.

Aliquo modo tamen atque ex parte caussas attingere nostrarum miseriārum, est laudare diuinam æquitatem pariter, & R. veteres

I.

II.

130 Cap. XIV. Morborum ac mutilationū causas indagandas esse,  
veteres communesque querelas compescere. Intraturus quidam  
in templum, vedit plurimos ante fores jacere mendicos, audiuit  
que eos, diuersa facundia, condicionis suæ miseriam deplorantes.  
Inter illos alij pedis, alij cruris, alij manus aut brachiorum jactu-  
ram, alij varias corporis plagas, declamatoria voce lamentaban-  
tur. Interrogavit, vnde tot vulnera ac vulnerati essent, in paci-  
fica ciuitate? Vbi intellexit eos è castris, immò ex acie illuc im-  
portatos. Iam non miror, dixit; consuetum est, ut in militia ab hoste  
eiusdemodi honoraria reportentur. Quoniam autem & vulnerati in-  
ter ægrotos non immeritò computantur, neque putandum est, si  
sine diuina prouidentia ne capillus quidem de capite nostro pe-  
rit, Deum permittere, vt sine justissima causa pedem amittamus,  
crus frangamus, oculum perdamus, caput lèdamus; aut alijs no-  
bis plagam imponat: prius quam ad singulas causas accedamus,  
obiter videndum est, cur hominum custos mutilationes, cædes,  
prædationes, aliaque talia fieri permittat; & quidem non tantum  
in meritos, sed etiam in innocentibus.

Luc. 21. 18.

III.  
Ioan. 16. 1.

Cùm Christus Apostolis multas persecutionum procellas  
subeundas vellet prædicere, dixit: *Hac locutus sum vobis*, vt non  
scandalizemini. *Absq[ue] synagogis facient vos.* Sed venit hora, vt omnis,  
qui interficit vos, arbitretur, obsequium se prestare Deo. Similis erat  
Christus parenti filium suum in militiam dimittenti, neq[ue] igno-  
ranti, dulce esse bellum inexpertis. Is enim paternè præmonet  
euntem, alia reperturum, quam sibi imaginetur; vigilandum,  
frigus, æstum, famem, sitim sustinendam, denique non tantum  
imbris aquarum, sed telorum, & plumbeorum glandium nimbos  
etiam excipiendos; vulnera expectanda, sanguinem profunden-  
dum; mortem ipsam contemnendam. Hæc talia illi prædictit  
• prouidus parens, nec illico, vbi asperum quid est sensurus, ad ma-  
ternum sinum, deserta statione, domum cogitet reuerti. Sic &  
Christus gnarus, tela præuisa minus ferire; discipulos suos com-  
pellans admonet exilij, ejectionis, mortis. *Hac locutus sum vobis*,  
*ait, vt non scandalizemini.* Expectabitis, vt homines vobis obuiam  
prodeant, hospitiumque vltro offerant, quemadmodum audistis,  
Gen. 38. 3 & Abrahamum, aut Lotum Angelis obtulisse; at contrarium cue-  
19. 24. niet, *absq[ue] synagogis facient vos*, vt etiam inde excludamini, quò  
omnes

omnes admittuntur. Sperabitis, vt vos, tamquam legatos DEI, honorificè tractent: at cōtumelijs afficien, colaphos infringent; at flagellabunt, & fauciabunt vos; & morte pessima multabunt. *Hac locutus sum vobis, ut non scandalizemini.* An non recordamini, hunc, ab initio Mundi hominibus & Deo morem fuisse, vt illi bonos malè tractarent, Devs autem sanctos suos de ipsis malis coronaret? Sic innocentem Abel, inuidus Cain; pium Iacob, crudus Esau, virgineum Ioseph crudeles fratres; sœui Ægyptij mansuetum MoySEN & Israélitas; Saul Davidem, Iezabel Eliam affixit; & hodie quoque improbissimi quique vitæ probatae homines persequuntur. Ut enim aquis ignes, & ignibus aquæ aduersantur, ita inter probos improbosque dissidium facit morum dissimilitudo. Quæ ipsa commendat innocentes. Si enim impijs similes essent, desinerent esse innocentes. Non splendet virtus, si non exerceatur. Quare vel ipsi Diabolo aliiquid in Job permitendum fuit, vt patientia eius orbi terrarum ostenderetur. Itaque *hac locutus sum vobis, ait Christus, ut non scandalizemini.* Nam, vt virtus vestra, velut aurum in igne probetur, tamquam oves à lupis lacerabimini. Ego ipse per spinas vos, non per rosas ad cælum ducam.

Quòd si ergo scandalizari nemo debet, cùm videt affligi innocentes, quantò minùs nos offendì decet, si Devs reos castigat? Ita est, non licet, cùm aliquem videmus in aduersa incidisse, illico cogitare, aut judicare, multoq[ue] minùs dicere, eum scelere aliquo insigni id commeruisse, aut improbitatem illius à divina æquitate castigatam esse, quemadmodū Melitenses temere & censuerunt, & dixerunt, cùm viderent viperam de manu Pauli pendentem, verùm multò indignius est, vt de D[omi]no malè cogitemus, quasi, aut iniquus sit, aut in rebus humanis curandis negligens & improvidus. Iusti, in dubijs rebus aiunt: *Injustus es, Domine, & rectum judicium tuum.* Tametsi ergo neminem improbitatis condemnent, cùm vident mala mortalibus accidere, justitiam tamen nihilominus diuinam numquam accusant, neque se sioun̄ casu repentina scandalizari. Ita enim secum rationantur. Si homo iste deliquerit, quod D[omi]no notum est, cur non puniatur? Si innocens est, cur non exerceatur? Dux belli, quorum fidem ac

IV.

*Act. 18, 4.*

*Psal. 118, 137.*

R. 2

virtutem

132 Cap. XIV. Morborum ac mutilationū causas indagandas esse.

virtutem maximi aestimat, eos solet in maximis discriminibus hosti opponere. Sic & Deus, quos amat, arguit & castigat, & quæ bonus utique in amicos, quibus præbet merendi occasionem, atque erga inimicos justus, quos poenitentia emendat. Negari non potest, tristia sunt, quæ aduersa sunt, sed solari nos debet & tristium utilitas, & justitia judiciumque Dei tristia immittentis. Manife-

S. Augustini: *stum est quidem*, inquit S. Augustinus, quia ista in Ecclesia non accidunt, sine gravi tristitia sanctorum fidelium; veruntamen consolatur nos, qui cuncta pradixit, atq; ut abundantia iniquitatis non refrigerescamus, sed in finem perseveremus, ut salvi esse possemus, admonuit. An non admonuit, cum dixit: *Hac locutus sum vobis, ut non scandalizemini?* Quod si scandalizari nos noluit, cum videmus pessima quæque perpeti innocentes, quantò minus offendit nos par est, cum reos plectit? Bonos defendit, cum malos castigat; immo ex malis vult facere bonos.

V.

At non videmus crimen, ob quod iste sanitatem amisit; ille pedem, alias oculum, alias omnino vitam perdidit? Satis est, si videt Deus. Non cadet, qui judicio cediderit diuino, quod tamen ipsum haud raro erumpit in apricula, ad nostram fidem erudiendam. *Henricus in dioptra exemplorum narrat*, cuidam viro nobilissime multis annis seruum in primis fidum & gnanum, adeoq; ad omnia imperata promptissimum. *Vix venit*, ut dominus per filiam, equo vehens vidulum argenti triginta pondo, seruo ponè sequente, ne aduentente, perderet. *Obi ad flumen ventum, herus folliculum pecuniarum desiderat*, querit è seruo inueniret ne amissam bulgam? negantem illico ira inflammatus, ac propè in rabiem actus, stricto ferro persequitur, pede truncat, seminecq; relicto, viam, qua incesserat, argento querendo re legit. Seruu dolore pedis recisi propè exanimatum silvam eiulatu complevit. *Excivit lamentabilis vox anachoretam* haud procul inde degentem: reperit is humi jacentem, pedeq; pestinè multatum. commiseratione commotus compellat, & quam potuit verborum madelam adhibet. Enim uero propius eum à morte abesse ratus hortatur ad salutarem peccatorum expiationem, monetq; hero ut suo ignoscat, Deum quoq; perinde clementem in se experturum. Parati ad omnia confessionem excipit, causamq; facti tota intelligit; unde maiori affectu infelicem prosecutus in cellam suam deportavit, maximaq; cura inser-

uire

Joseph. Bar-  
lardin, lib. 3  
cap. 47. &  
post eum  
Matth. Rader  
part. 1. Viri-  
darij, 28. Ja-  
nuarij.

uire & mederi quibus potuit officijs institit. Interim animo secum pertransiens miserandum innocentis hominis casum, quasi offendebatur in Deo, qui insontem sernum tam atroci calamitate, tantaq; arumnis premi opprimi, passus esset. Hec indigna de aquissimo sapientissimoq; Numine, inique cogitanti adstat internuntius Dei, voceq; huinsmodi affatur. Quid moneris indignarisq; super justo & abdito prouidentia diuina judicio? an ignoras psalmos? Deum iustum judicem, & rectum judicium eius? Haud nescio, inquit Anachoreta, s̄pēq; & legi, & adhuc credidi: sed hodie sorteem innocentis & ultimi seruuli miseratus non potui asequi, quā ratione tanta supplicia propter noxas non adeo graues dependat. Causa, inquit Angelus, tam impie sentias loquareq; de sapientissima aquissimaq; sententia Dei: Nam omnes via ipsius justa & sancta Scriptum probè nosci: Iudicia Dei abyssus multa. Proinde noueris huic pedem amputatum, ut justas penas daret, quod hoc ipso iam olim pede juuenis suam ipsius matrem una veclius ex curru indignis modis deturbarit. nec umquam de hoc scelere, uti par erat, doluerit. Iustus inde Deus ob hoc illum facinus presenti pœnâ affixit, ut mortuo olim posset parcere. Herum porrò scias illius, amisit illâ pecunia ad plurimam & maxima flagitia in suam & aliorum perniciem & exitium sempiternum abusurum fuisse. Abstulit verò verissimus Deus occasionem hanc ab illo in terris, ne califaceret jacturam. Contraria, qui insacculum argenti amisi, incidit, tenuis erat fortuna; sed integra vita numeroseq; familia, qui argentum repertum quamprimum ad curionem suum detulit pro concione proclamandum, ut si quis suum profiteretur, ei redderetur. Parochus diuiniter de repertoris inopia doctus, cum nemo vindex adesset, partem ex illâ inuentori transcripsit, reliquam in reliquos inopes parœcia sua partitura est. Hic religiosus ille filius cultor suam agnoscere temeritatem, seq; eternis dignum supplicijs facteri, pacem veniamq; flagitare. Cui Angelus: Iam tibi summa Dei clementia ignorit, prosequere constanti fortij; animo cœptum pietatis iter, & sempiternis quandam gaudiorum præmij potière.

Adeste hic primū, qui perdidisse vos lucrum, amisisse manus, jacturam fortunarum fecisse muliebriter ploratis. Non infortunium, non casus, non furis ea rapacitas fuit, sed diuinum judicium, sed prouidentia miserantis Dei, gladiumque furioso subducentis. Illâ pecuniâ valetudinem suffocassetis; illâ crapulæ

R 3

&amp; ebrie-

VI.

134 *Cap. XIV. Morborum ac mutilationū causas indagandas esse.*  
& ebrietati vos addixissetis; illā superbaz uestes statui vestro minimè conuenientes comparassetis; illā emissetis adulteria; corrupissetis judicia; illā in sacrilegam & Simoniacam nundinationem incidissetis; illā oppressissetis pupillos, vexassetis viduas, judices & tribunalia exceccassetis. Quid si illa fuit aliena? quid si inopi & extremè egenti debita? quid si vos ipsi ea, ob insatiabiliem uestram cupiditatem indigni? Inter quotidianos sermones recitatur, quod narrabo, fuisse nempe Euclionem, qui cum auro suo à furibus metueret, fallereque vellet insidiantes; non in arca illud, non domi, sed in deuia silua, atque super excelsa arbore condidit; eum nimurum locum tutissimum ratus, quem censoit alijs inaccessum. Erat fortè in eadem vicinia pauperissimus homo, quem res angusta domi, & creditorum molestissima importunitas ad restim adegerat. Mori quippe maluit, quam toties ab interpellantibus vexari. Igitur laqueum parat, suspendio locum querit; quem quidem voluit esse ab hominum oculis remotissimum. Quò alio iret, quam in siluam? Bono genio duce in illam ipsam arborem incidit, in quam avarus Euclio aurū conjecerat. Conscendit, laqueum promit, & iam iam vtronea morte animam sibi elisurus, sacculum reperit auro prægnantem. Aurum, ubi vidit, non placuit illi amplius mori. Itaque felicissima commutatione, sacculum cum auro tollit, eiusque in locum restim reponit; reditque domum opulentus, unde paulò priùs exierat, præ inopia se interempturus. At prorsus diuerso euentu Euclio dum thesauro suo visendo animum oblectatus in eamdem siluam redit, arboreque consensa, aurum querit; non aurum, sed laqueum reperit. Hoc vnum illi compendium fuit ad mortem. Non amplius habuisset, quo restim eneret, nisi gratis inuenisset: Thesauro igitur spoliatus, quia jacturam ferre non poterat, mortem statuit sibi inferre. Illo ipso, quem inibi inuenerat, laqueo se arbori innexuit, pependitque diuinæ in cupidos vindictæ monumentum; quotquot enim eum viderant, & de avaritia nouerant, dixerunt, suspendium dudum meruisse. Hoc memori mente recondant, quicumque aurum injustum recondunt; nouit enim probè diuina prouidentia illud, suo tempore, in laqueum commutare.

Sic

Sic Iudeæ accidit, quem à Dño permisum, ut se suspenderet, nemo scandalizatur. Cum pecunia vitam dedit, qui veram vitam pro pecunia vendidit, ante ipsum Simonem Simoniacus factus, Magistri sui venditione. Quid doletis, miseri, si vobis milites absulerunt, quod è templis & aris, quod Sacerdotibus & Monasterijs antè ipsi rapuistis? Antiquè dictum est: *Malè parta, malè dilabuntur.* Nulli fures diu manent opulentí. Dum Philippæum elepunt, talentum amittunt; nec raro, qui ærarium suum de Ecclesijs auxerunt, tota perdiderunt regna. Nemo scandalizetur, si videat diuites mendicare, qui, ut diuites essent, priùs ipsi multos mendicos fecère. Sic cum eis agitur lege talionis. Quæ in alios perpetrarunt, patiuntur. Quid conqueruntur de re, cuius exemplum fuerunt? Equum quidam è pascuis abegit, freno ephippioque carentem: frenauit, ephippio texit, mox iterum vñà cum freno ephippioque amisit. Quotidiana sunt hæc hodie apud milites. Nam ante paucos annos in vicinia nostra, nostis militem vix è pago cum equo exiisse, cui extra pagum alij duo commilitones & equum & vitam eripuerunt. Hoc lucrum fuit raptoris. Infinita sunt, quæ sine diuino utique judicio non contingunt. Quād longum catalogum contexuit Dv̄s eorum maiorum, quæ se immisurum minatus est legis transgressoribus? *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias, & facias omnia mandata ciui, & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & maledicta reliquæ tua. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuae, armenta bovinæ tuorum, & greges ovinæ tuarum.* Et quæ longo ordine sequuntur. Hæc omnia locutus est nobis Dv̄s, ut non scandalizemur, si auferat bona ad vitam necessaria: aufert enim vel ut summus omnium rerum Dominus; vel ut det benè meritis, aufert ab indignis, ut quondam ab Ægyptijs, per Israëli gas ex Ægypto discedentes; vel ne fiamus calo indigni. Beneficium hoc est, non furtum. *Quod facit cum bonis nostris, facit & cum membris nostris.*

VII.

*Deuter 28 13  
& seqq.*

Nam aufert subinde, aut crudelissimè auferri sinit iam hoc, iam illud membrum, mutilatque hominem, aut etiam penitus deartuat,

VIII.

136 Cap. XIV. Morborum ac mutilationū causas indagandas esse.

dearuant, quemadmodum suprà dicto seruo accidit. Respondendum est istis (atque ad hoc responsum tota hospitalia, omnes

Matth. 18. 8. ægros, languidos, mancos, cæcos, claudos cito, & adesse jubeo)

in primis cum Christo: Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem,

vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem eternum. Item: Bonum tibi est, cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis.

Tametsi ergo non semper in peccatum hæc talia accidunt, accident tamen

ad patientiæ coronā. Viderunt aliquando cum Iesu, hominem secum à nativitate, & interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, ut cæcus nasceretur? Respondit Iesus:

Neg, hic peccavit, neg, parentes eius: sed ut manifestentur opera Dei in illo. Vitium est enim hominum, in aliorum calamitatibus, Dei

judicium citare, & peccati poenam censere, quod & amici Iob fecerunt. Sed sæpe errant, ut & Apostoli ex ignorantia interro-

gauerant, an hic peccârit, ut cæcus nasceretur? non poterat

peccare antè, quam nasceretur, quare neque mereri potuit, ut

cæcus nasceretur. Propter peccata autem parentum sanè non

raro filij puniuntur temporali calamitate, sicut propter adulterium Davidis infans mortuus est, & propter flagitia Sodomitarum, etiam filij infantes arserunt; item propter peccatum,

Dathan & Abiron, terra etiam filios eorum deuoravit, cùm enim filij sint pars quedam parentum, in illis isti plectuntur, teste

S. August. 1. 6. qq. ver. testa. Augustino & Gregorio. In hoc ergo non errarunt Apostoli,

et. 8. S. Greg. quod putârint parentes aliquando in filiis suis puniri, aut filios lib. 35. moral.

propter sua peccata plecti. At in eo errarunt, sicut multi homi-

nies, quod putârint, non infligi has poenas, nisi propter peccata.

Itaque nemo temerè judicandus est, quasi peccatis meruisset suā

calamitatem, in quam incidit. Sæpe nec ipse, nec parentes pec-

cauerunt, sed ut manifestentur opera Dei in illo, hoc est, ut patientia eius, sicut in Iob, hominibus ante oculos ponatur; est enim

patientia opus Dei: Aut, ut etiam potentia Dei miraculo aliquo

pateat, quod diuinitas Christi declaretur; quale miraculum à se-

culo non auditum fuit, cæci nati, scilicet illuminatio.

Neque hic est scandali causa. Si quis enim querat, cur

hic cæcus natus sit, non ob peccatum, sed ut manifestaretur glo-

ria

## IX.

Ioan. 9. 1.

z. Reg. 12.

Gen. 19.

Num. 16.

S. August. 1. 6.

qq. ver. testa.

et. 8. S. Greg.

lib. 35. moral.

cap. 31.

ria Dei in ipso, qua justitia id fieri possit, ut tanta pœna alicui in- Vide Tole.  
fligatur nō propter peccatum? Respondeo 1. nullam cæco inju- in cap. 9. 10.  
riam factam; et si enim ei non contigerit cæcitas, vel ob propriū,  
vel ob alienum peccatum, non tamen contigit sine illo peccato,  
ob quod justè Deus multò maiora mala illi immittere potuisset.  
Docet enim fides, ob peccatum originale, justè pœnas quascumq;  
temporales exigere ab omnibus posse Devm; & ob id ipsum de  
facto multos infantes morte affici, alijsque malis, tradit Augusti.  
nus. Quod igitur non puniat omnes, nec pluribus malis obij-  
ciat, misericordia est beneficium, non justitiae debitum. Ut autem  
aliquid à Deo justè fiat, satis est, si sine injustitia, et si non propter  
justitiam fiat. Adde 2. quod etiam si nullum in tali peccatum  
esset, tamen in arbitrio Dei sit, cæcitatem, vel alium corporis  
defectū immittere sineulla injustitia. Nihil enim illi aufert, con-  
tra jus ipsius, sed solùm hoc vel illud non vult illi donare, sicut  
ei cetera donauit. omnia enim, quæ habemus bona, Dei sunt  
dona gratis & liberaliter donata. Quare si cui non dat visum, pe-  
dem, manum, longam vitam, non aufert debita, sed non donat,  
quæ donare potuit. Quæ non est injustitia, sed terminus diuinæ  
liberalitatis & donationis. Quare nemo cum Deo potest expo-  
stulare, si ei sanitatem negat, aut vitam longiorem non donat,  
sicut nec seruus potest expostulare cum domino, si ei agrum non  
donat, si non donat hortum, aut domum.

S. Augustini:  
lib. 22. Ciuit.  
cap. 22.

Sed in arcana diuinæ justitiae penitus intremus. Nonne  
Eremicola Dei tribunal temerè judicavit, quando animo secum  
pertractans miserandum innocentis hominis casum quasi offendebatur  
in Deo, qui insontem seruum tam atroci calamitate tantusq; erumnis  
premi, opprimiq; passus esset? Nonne ab Angelo eius temeritas est  
castigata? Nonne justitia Numinis demonstrata? quando dixit:  
*Noueris huic pedem amputatum, ut instas pœnas daret, quod hoc ipso*  
*iam olim pede junenis suam ipsius matrē unā veltua ex curru indignis*  
*modis deturbârit; nec umquam de hoc seclere, uti par erat, doluerit.*  
Itaque non solùm Deus est Dominus membrorum nostrorum,  
sed etiam judex. Per quæ quis peccat, per ea & pœnas illum lue-  
re par est. Multi membro aliquo, aut membris vsu priuantur, &  
caussam nesciunt, cur ita superi permiserint; scirent, si delictorū

X.

138 Cap. XIV. Morborum ac mutilationū causas indagandas esse,  
fuorum recordarentur. Auriculam Malcho dexteram Petrus am-  
putauit? fortasse eam sāpius præbuit detractoribus, turpiloquijs,  
adulantibus, certè injuste mādanti, vt Christo capiēdo interesset.  
Alius queritur, sibi vtrumque oculum ex incauto ignis insultu  
effluxisse? fortasse illis ipsis oculis sāpius aspergit, quod videre ne-  
fas fuit, & dici poterat:

Ouid. lib. 2.  
Metam. fab. 9,

*Aspicit hunc oculis iisdem, quibus abdita nuper  
Viderat Aglauros flava secreta Minerue.*

Alius digitis truncatus est? fortasse nimis longos habuit. Manus  
ambas alias amisit? fortasse eas, quibus non debebat, iniecit, aut  
ad illicita extendit. Alius genua popliteisque habet plumbo tra-  
jectos? fortasse Deo numquam adorato submisit. Crurifragium  
passus est aliis? quid si id meruit exortici generis ocreis in terras  
nostras aliunde importatis? Talum quispiam inuertit? aut pe-  
dum digitos frigus illi deuulit? quid si in choreis nimius fuit, aut  
mollis calcutu lasciuuiuit, juxta illud: *Homo apostata, vir inutilis,*  
*graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur?* Hæc  
omnia membra accepit homo, vt seruirent iustitia in sanctificatio-  
nem: quod si igitur exhibeat membra sua arma iniquitatis peccato,  
an non dignus est ea amittere? Immò an non illi utilius est ijs  
carere, quam furere? Illi ergo dicit Seruator: *Bonum est tibi ad  
vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes  
habentem mitti in ignem aeternum.*

XI. Fuit hæc iustissima lex olim: *Si habuerint inter se iugium*  
*Deuter. 25. 11: viri duo, & unus contra alterum rixari cœperit, volensq; uxor alte-*  
*rius eruere virum suum de manu fortioris, miseritq; manum, & ap-*  
*prehenderit verenda eius: absides manum illius, nec flecteris super*  
*eam vlla misericordia.* Quod in manu jussit fieri, in pede quoque  
factum accipe. Frisingæ in cathedralis Ecclesiæ superiore Choro,  
ad dexterum latus altaris S. Sigismundi, vidi pedem humanum.,  
carne adhuc integra & incorrupta, quamuis subnigra, cum digi-  
tis & vnguibus, tabellæ ligneæ affixum, parietique appensum.  
Eo viso, interrogavi, quid esset istuc? Responsum est mihi à viris  
magnis, morem esse perantiquum, vt quotannis, feria tertia Pen-  
tecostes, ad S. Sigismundi aram peregrinationes instituantur.  
Et verò etiam longis illuc vijs veniri. Mœmingam pagum esse  
octo;

octo, vel decem milliaribus inde distantem, Isaræ adsum. Ex eo quoque pago plenis agminibus peregrinos ascendere solitos. Cùm ergo aliquando eiusmodi supplicatio procederet, Frisingam prefectura, vicinum in via viderunt nonnulli ex arbore spectantem transeuntes. Ibi quispiam, vt fieri solet, ex eo interrogavit, An non & ipse cum cruce peregrinantes comitari, atque Frisingam tendere vellet? Ad quam ille quæstionem Sardonicè ridens, non sine impio sarcasmo respondit, *Nolle se vel pedem Frisinge habere.* Dixit, & linguæ peccatum illico pes luit. Nam cum dicto, pes alter, haud secus atque si securi amputatus fuisset, de arbore cecidit. Neque hoc prodigio miraculum est terminatum. Iacebat illius ipsius rustici canis sub arbore, qui quasi ex imperio lapsum desuper pedem, mordicus apprehendit, & cum eo, ante supplicantes, Frisingam usque cucurrit. Subsecuti postea peregrinantes, & canem, & pedem ante altare S. Sigismundi repererunt, agnoueruntque. Nec potest miraculum negari, si dem ei facit alterum miraculum, usque in hanc diem, per tot annos continuatum. Ne enim eius memoria aboleretur, caro, contra indolem suam, incorrupta perseverat, docetque spectantes, ne Sanctorum honores, aut antiquos piosque Ecclesiæ mores irrideant; neque aliud appensa tabella loquitur, quam

*Discite justitiam moniti, & non temnere diuos.*

Tabellæ autem ad apicem descripta verba sunt: Diser  
Fues iß vor vißen vnerdencklichen Jahren von Mâmingen hieher  
durch einen Hundt wunderbarlicher weß gebracht worden. Als  
nun ein ganze Nachbauschafft von Mâmingen hieher gehn S.  
Sigismundi den dritten Pfingstfeyrtag (wie gebräuchig) walfarten  
gangen/ haben sie vnder wegen einen Nachbauren / so auff ei-  
nen Baum gewesen/ angetroffen/ den befragt / ob er nit auch mit  
dem Kreuz nacher Freising mit jhnen gehen wolle; habe er das  
Gespöß darauf getrieben/vorgebendt/er wolle nit/Reuerender/dass  
jhme einen Fues zu Freising wäre; Zu deme seye sein Fues einer  
von dem Baum herab gefallen / vnd von des Bauren aignem  
Hundt in dem Maul nacher Freising getragen worden / vnd da die  
Nachbauren in die Kyrchen kommen / seye der Hundt mit dem  
Fues vor dem Altar gelegen. Hæc tabella multos mouit, ut

XII.

Duos non temnerent, plurisque facerent sacras peregrinationes; nonnullos etiam, ut pedibus irent in sententiam Catholiconrum. Vnius ergo pedis jactura, saluti fuit multis; fortasse etiam illi ipsi, qui pedem amisit, ut pietatem inueniret.

## C A P V T X V.

*Primam morborum caussam, esse ipsam hominis naturam.*

I.

 Ed vulneribus, tamquam extraordinarijs morbis, omisis, paulo altius & uniuslī morborum causses expendamus, quarum prima est hominis Natura. Constatamus enim ex elementis, eternam inter se pugnam conserentibus. Hinc natura mortales sumus, &

Ouid. lib. 1. *Frigida dum calidis pugnant, humentia siccis,*  
Metam. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram.* Itaque seu  
2. Reg. 14. 14. calor in nobis exstuerit, seu exuperet frigus, seu humiditate nimia intumescamus, seu exarescamus nimia siccitate, semper male valemus; nec fieri potest, ut illa arte justum sanitatis temperamentum non tandem deficiat, si de arte humana loquamur, ac

Chrysipp. I. 4. naturali. Natura enim non est supra naturam. Acutē Chrysippus tractat, consideratq; dignumq; esse id queri putat, ei ò rōv òvθpātov vōtoī kata q̄vōtiv γιvortu id est, naturāne ipsa rerum, vel prouidentia, qua compagens hanc mundi, & genus hominum fecit, morbos quoq; & debilitates & agritudines corporum, quas patiuntur homines, fecerit? existimat autem, non fuisse hoc principale natura consilium, ut faceres homines morbis obnoxios: numquam enim hoc conuenisse natura authori, parenti, rerum omnium bonarum, sed quum multa, inquit, atq; magna gignere, pareretq;, aptissima, & utilissima: alia quoq; simul agnata sunt incommoda, ijs ipsis, qua faciebat, coherentia: eaq; non per naturam, sed per sequelas quasdam necessarias facta dicit. Quod ipse appellat kata παρακολουθι. sic, inquit, quum corpora hominum natura fingeret, ratio subtilior & utilitas ipsa operis postulauit, ut tenuissimis, minutissimis, oculiculis caput compingeret. sed hanc utilitatem rei maioris alia quadam incommoditas extrinsecus consecuta est; ut fieret caput tenuiter munitum, & ictibus, offenditibusq; parvus fragile. Proinde morbi quoq; & agritudines parte sunt, dum salus patitur.